



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Christianis in Persia à Sapore neci datis, ac primum Vsthazane,
Abedechalaa, & Anania. Capvt IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

iubet. Nam ratus est alios prompto ac parato animo de religione Christiana descituros, si certiores fierent, nemini Christiano misericordiam tributam fore, quippe cum Vsthanes senex, educator regis, ei familiaris, & beneuolus etiam esset interfectus. At Vsthanes ad alium finem supplicii sui causam predicari tam impense desyderauit: siquidem cogitauit, quod sicut quando timore perterritus Solem adorabat, multis Christianis metum iniecerat, sic iam non pauciores ad suam animi magnitudinem & Constantiam imitantam incitaret, si modo intelligerent, eum pro religione Christiana trucidatum fuisse.

De Christianis in Persia à Sapore neci datis, ac primum Vsthanæ, Abedechalæ, & Anania.

CAPVT IX.

HOC modo Vsthanes vitam, quam hic in maxima gloria traduxerat, deseruit. Symeones autem de eius morte in carcere certior factus, Deo gratias pro illo egit. Post die eius diei, qui erat sextus dies hebdomadæ, in quo ante celebratum die festum resurrectionis, memoria salutaris Christi passionis quotannis recolitur, decernit rex, ut Symeones gladio feriat. Nam antequam denuo in carcere deductus ad regem, forti & magno animo cum Sapore de fide Christiana differuit, & neque illum, neque Solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, rex eisdem obtruncari iubet. Ad extremum Symeonem, cum ceterorum omnium mortem oculis aspexisset, trucidari. Horum pars episcopi, pars presbyteri, pars ex alio clericorum ordine fuerunt. Cum omnes ad locum, in quo erant necis supplicium subituri, deducerentur, princeps Magorum percunctatur ab illis, utrum velint viuere, & eandem cum regem religionem colere, Solemque venerari. At ubi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere, recta ad locum, in quo erant secuti feriendi, deducuntur. Ac dum lictores in opus incumbunt, & in caede martyrum occupantur, Symeones astans illis, dum interficiuntur, iubet bono animo esse, verbaque apud eos facit de morte, de resurrectione,

E ij de pie-

SOZOMENI HISTOR.

de pietate, & testimonijs ex sacris literis depromptis confirmat ita mori, esse verè viuere, atque præ ignauia deū prodere, esse verè mori. Eos enim, etiam si nemo ipsis necem afferret, breui morituros: quandoquidem à nemine in hęc lucem edito hic finis vitari potest. Post mortem verò ea, quæ sunt æterna, non eodem modo omnibus euentura, sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratam vitæ antè actæ rationem reddituros, & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros: denique pro deo velle mori esse in bonis summum, & rem multo beatissimam. Dum ista Symeones dicendo percurreret, & tanquam magister gymnasij præciperet quo modo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes, ad necem cupidè gradiebantur. Licitor autem, postquam centum illos interemit, postremo in loco Symeonem obtruncauit, atque Abdechalaam, & Ananiam vnâ: ambos senes, presbyteros ecclesiæ, cuius Symeones erat episcopus, pariter cum illo & comprehensos, & in vincula coniectos.

De Pusice opificum Saporis præfecto, & filia eius & Azade martyribus.

CAPVT X.

Eodem temporis momento Pusices præfectus omnium regis artificum, ibi fortè stans, cum videret Ananiam, cui iam cæcès parabatur, contremiscentem, paulisper, inquit, ò senex, oculos occludito, & bono animo esto. Nā statim lumen Dei videbis. Vix est hæc locutus, cum cōprehensus est, & ad regem deductus. Atque cum esset se Christianum confessus, quoniam libero ore apud regem pro religione Christiana, & pro martyribus verba fecerat, idcirco quasi aliquid nefas dixisset, dabatur licitoribus mandatum, vt admodum peregrino & crudeli in primis mortis genere afficeretur. Lictores igitur collo eius circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porrò autem eius filia virgo, falsò à quibusdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemque temporis articulo occiditur. Sequenti anno, eo ipso die, quo memoria passionis Christi recolitur, cum iā celebris dies festus resurrectionis expectaretur,

exijt